1532. d. 27 Jun.

Sigismundus Rex Poloniae Ludovico Gritti Thesaurario Ungariae.

150

Illustris et Mce. sincere Nobis dilecte.

Cum fuit Nobis nunciatum, Itatem Vestram missam ad nos esse, a Potentissimo Imperatore Turcar. ut hanc quae inter Nos et Vojevodam Valachiae intercessit, controversiam componeret, magno desiderio adventum illius expectabamus, et plurimum letabamur, talem Nobis hominem loco Cesareae Mtis Ultrs datum esse, qui pro sua prudentia agnoscere et cognoscere potuisset, quanta erga Nos contumelia in hostilitate Valachus hostis Noster, excessevit, nunc vero cum ex literis, Itis Vestrae cognovimus, illam ex itinere per Cesaream Mtem, esse revocatam, magnopere doluimus sublatam Nobis esse, videndae Itis Vrae occassionem. Verum cum id voluntate et mandato Cesareae Mtis contigit, non possumus nisi boni Consulere, hanc Itatis Vrae revocationem presertim quam loco suo alter Cesareae Mtis Oratorem, ad Nos cum literis misevit, quibus perscripsit abunde, hoc esse Cesareae Mtis desideri

num

Ut a Nobis ad tractandum, et componendam cum Valacho controversiam, isthuc in Aulam, Sui Domini Joannis Ungariae Regis, affinis Nostri charissimi Nuncius mitteretur,

In quo ut Nos optatis, illius Caesareae Majestatis et Vestrae Itatis satisfaciamus, designavimus ad hoc munus, unum ex Consiliariis Nostris, quem isthuc citra omnem cunctationem, mittemus, et plenam illi facultatem, cum sufficienti mandato, dabimus ut de omnibus injuriis et damnis quae ex hostilitate et perfidia, Valachi hostis Nostri accepimus, in praesentia Sui Domini Ungariae Regis et Vestrae Illratis transigere possit.

Ceterum quod Itas Vestra de liberando ex Captivatione filio ejus, Mechmetbeck Oratoris Caesareae Mtis a Nobis postulavit, facturos nos liberaliter recepimus, et non gravatim praestabimus, si apud aliquem subditorum Nostrorum reperiri poterit. Fecimus enim, ubiq de illo perquirendo curam habere, bene valeat Itas tua et suam quam caepit erga Nos propensionem, et affectum continuet, nos vero id vicissim, illi gratificatione et benevolentia Nra referre curabimus Crac: 1532. 7a. 27. Junii.